50.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

ILEO

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM ANGARIÆ, WESTPHALIÆ, ET RELIQVA

PRÆSIDE

IOANNE ADOLPHO WEDELIO

PHILOSOPH. ET MED. DOCTORE, THEORETICES PROF. PVBL. ORD. CONSILIAR. ET ARCHIATRO DVCALI SAXONICO, MED. DVC. PROVINC. SAXO-VINARIENSI

PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVO PATRIS LOCO SANCTE COLENDO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES, MORE MAIORVM LEGITIME CONSEQVENDI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPOSITA

A

IOANNE NICOLAO RAABIO

ROTENBVRGO-FRANCO

IN AVDITORIO MEDICO

AD D. XIX. OCTOBR. M DCC XX.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

IENÆ, TYPIS RITTERIANIS.

1720

VIRO
ILLVSTRI, MAGNIFICO, ATQVE CONSVLTISSIMO
DOMINO
NICOLAO GELTNERO
IN SENATV SANCTIORI
INCLYTAE ET LIB. S. R. I. REIPVBLICAE
QVAE ROTENBVRGI EST AD TVBARIM
CONSVLI GRAVISSIMO AC DE SALVTE
PATRIAE LONGE MERITISSIMO
DYNASTIAE MINORIS PRAEFECTO SPECTATISSIMO
ITEM VTRIVSQVE COENOBII ATQVE. AD D. VVOLLFGANG:
AEDEM
CVRATORI PRVDENTISSIMO

PATRONO AC SVSCEPTORI
SVO OPTIMO OMNIQVE PIETATE ET OBSEQVIO
COLENDO
VITAM FELICEM FORTVNATAMQVE PRECATVR
I. N. RAABIVS.

* *
*

BEneuolentiam pariter atque benignitatem Tuam, quam alias iis omnibus præſtare ſoles, de quibus egregiam ſpem concepiſti, non modo indignus ſæpius expertus ſum; ſed & alia multa, eaque maxima, iam a primis vitæ annis in me contuliſti beneficia, quæ gra-

tisſimo ſemper agnoſcere animo, & perpetua tueri memoria, conuenit. Tenerrima enim erat ætas, vbi me, quod ſummi beneficii loco ponendum, e ſacro baptiſmatis fonte leuaſti, & ardentisſimis Deo O. M. commendaſti precibus. Etiam deinceps, vt initia poſuiſti, cætera ſequebantur. Infucatæ pietatis & omnis virtutis exemplum tam mihi, quam illis omnibus, dediſti, quibus Tecum verſari contigit. Quare Tua cauſſa me omnia debere, nemo non intelligit. Patere itaque, Vir Illuſtris, Patrone

Opti-

Optime, vt referendæ gratiæ cupidus Tibi hanc qualemcunque dissertationem sacram esse iubeam. Non quidem opus politum est, quod vel Tua eruditione, quam admirantur doctissimi quique viri; vel Tua humanitate singulari animoq; liberali ac morum grauitate, sit dignum: sed id propter hasce qualescunque lucubrationes magno Tuo Nomini inscribere volui, vt publice exstaret aliquod pietatis & obsequii in Te mei monumentum. Quapropter Te oro atque obtestor, vt meos conatus in bonam

par-

partem accipere, & Tuo Patrocinio me in posterum dignari velis. Spondeo, me in id non tantum elaboraturum esse, vt Te ingratum collocasse beneficia intelligas: sed etiam propitium Numen votis omnibus precabor, vt Te, ad rem bene gerendam publicam natum, vna cum splendidissima TUA familia, felicem & quam diutissime florentem seruare velit. Vale, decus patriæ & columen, ac perge meis mihique fauere. Dabam Ienæ d. XV. Oct. MDCCXX.

I. N. I.

I. N. I.

§. I.

AFfectus, quo de in praesenti acturi sumus ileus, vel passio iliaca, vocatur, quod nomen a subiecto huius mali frequentiori, intestino ileo, optime deriuatur, vnde & *Celso Lib. IV. cap. XIII.* tenuioris intestini morbus dicitur. Frequentissime enim tenue hoc intestinum, prae reliquis, sedem eiusdem constituit. Nobis perinde erit, si quis cum aliis ab εἰλεῖσθαι, conuoluendo, deriuare velit, vti & Latinis *voluulus* audit, modo per conuolutionem motus ille intestinorum manifestus praeternaturalis sursum versus fiens, non autem contorsio, intelligatur. Tacemus a *Galeno* χορδαψὸν, ab aliis miserere mei, dolorem iliacum, vel alia ratione, appellari. Ad gradum eiusdem distinguendum commode quidam passionem iliacam pro gradu eiusdem remissiori, ileum autem pro grauiori & exquisito affectu, sumunt. Multi vero promiscue hisce vtuntur nominibus, tanquam synonymis.

§. II.

Est autem ileus excretio intestinorum deprauata, qua per inferiora nihil, per superiora vero eorundem contenta

ta reiciuntur, cum dolore ventris definito, a motu illorum periſtaltico inuerſo proueniens. Deprauata inteſtinorum excretio eſt, quia inteſtina contenta ſua ſucceſſiue deorſum prouoluere debent, vt partes alibiles ſeparentur & ſecernantur, inutiles vero per inferiorem aperturam tandem reiiciantur. In hoc vero malo contenta inteſtinorum, ſi vel ad locum affectum accedant, retro pelluntur & per os excernuntur, vel grauiori in ſtatu prius, quam illuc veniant, vel vbicunque in inteſtinorum canali hæreant, ſurſum cum impetu exturbantur. Per inferiora vero nihil excernitur, niſi aliquando in principio affectus, vbi adhuc in fieri eſt, tunc enim, quæ infra locum affectum abiere iamdum, contenta, prius, quam totus inteſtinorum canalis ita afficitur, excerni vel arte educi facile per inferiora poſſunt, in perfecto vero malo id non amplius fit, vt *Petrus Salius Diuerſus de affect. partic. cap. 11.* probe notauit & obſeruauit. Dolor ventris definitus vna adeſt, quia certo loco affectum inteſtinum eſt, tenſionem & vellicationem moleſtam ibidem ſuſtinens. Additur tandem differentiæ loco cauſa, nempe motus periſtalticus inuerſus, quo de ſub cauſarum tractatione paulo poſt agemus.

§. III.

Pars affecta itaque ſeu ſubiectum ſunt inteſtina, & principaliter eo in loco, vbi motus periſtalticus inuerſus initium ſumit, reliqua enim ſaltim coafficiuntur, vt & ipſe ventriculus. Ex inteſtinis autem præ reliquis frequentius ita laborat ileum, quod ideo quoque nomen dedit, & potisſimum, ſi a cauſa interna oriatur, in fine prope valuulam coli. Hanc etiam ob cauſam occurrere tunc ſolet dolor in hypogaſtrio dextro, vbi ſitus eius exiſtit. Poſſunt

tamen

tamen & reliqua inteſtina ita lædi, rarius tamen, & inprimis a cauſa externa, quæ & locum affectum in inteſtino ileo variare poteſt.

§. IV.

Cauſa ilei immediata eſt motus inteſtinorum periſtalticus inuerſus, hoc enim ſurſum verſus propelluntur contenta. Motus hic inuerſus dependet partim a motus periſtaltici ordinarii progreſſu in quadam inteſtinorum ſede impedito, partim a ſtimulo fortiori ſupra hunc locum exiſtente & continuante. Altera harum cauſarum abſente, minime inuerſio motus periſtaltici incipit, vehementior vero inuerſus hic motus iam factus, ob ſolum ſtimulum perſeuerantem, continuari poteſt, licet altera cauſa ſuperata & remota ſit. Sola enim obſtructio v. g. a fecibus aluinis ſubſiſtentibus ſæpe ſatis diu durare poteſt absque tali malo conſurgente; & ſtimulus maior in inteſtinis ſolus contingens ordinarium motum periſtalticum citatiorem, adeoque diarrhœam vel dyſenteriam &c. non autem ileum infert. Quodſi vero motus periſtalticus deorſum verſus ob ſtimulum maiorem reddatur maior, continuari autem per inferiorem inteſtinorum tractum, ob impedimentum ibi poſitum, nequeat, retrogradus fit, & ad ſuperiora redit, ac, ſtimulo adhuc magis aucto & permanente, ita continuatur, imo aliquando totus canalis per conſenſum in peruerſum motum rapitur.

§. V.

Progreſſus motus periſtaltici inteſtinorum ordinarii impeditus prouenit ab inteſtinorum obſtructione contumaciori, hæc vero vel contentorum vel parietum vitio fit. Contenta ſunt vel ordinaria vel extraordinaria. Ex ordinariis tum flatus nimis copioſi & acres redditi, tum excre-

menta ſucceſſiue collecta, indurata & exſiccata, parietibus adhærentia id faciunt. Extraordinariorum contentorum, remoram rebellem inducentium, exemplum ſunt vermes copioſi & conglomerati, vt & calculi, in inteſtinis aliquando etiam generati, aliaque duriora, nuclei ceraſorum copioſiores, ſimiliaque deglutita.

§. VI.

Flatus obſtructionem præſtant diſtenſionem maiorem inferendo, & accedentibus e loco ſuperiori reſiſtendo. Diſtenſione maiore fibrarum contractioni reſiſtunt, hac autem motus periſtalticus perficitur, adeoque & hic continuari eo in loco nequit. Reſiſtunt præterea accedentibus, expanſione ſua ſpatium occupando cedere haud valentes. Excrementa ſiccitate inteſtinorum præſente adhærent parietibus, & exſiccantur, & collectione ac adhæſione & exſiccatione continuata repletio tandem fit, vbi itidem & via occluditur & fibrarum conſtrictioni periſtalticæ remora ponitur. Ita vermes quoque accumulati & conglomerati, inprimis concurrentibus flatibus, nec non reliqua duriora laudata, repletione & diſtenſione reſiſtunt motui periſtaltico, & eundem impediunt. Expanſæ enim inteſtinorum fibræ, ob hæc ipſa in ſpatio contenta nimis reſiſtentia, conſtringi nequeunt.

§. VII.

Parietum vitio obſtructio contumax efficitur, ſi vel tumor internam eorum ſuperficiem occupet, vel inflammatio adſit, vel compreſſio, vel coarctatio & contractio pororum & fibrarum. Tumor internam occupans ſuperficiem ſpatium vna anguſtius reddit, & tandem occludit. Inflammatio motum periſtalticum in ea inteſtini parte, vbi

hæret,

hæret, impedit, quia fibræ inflammatæ, ob tenſionem a ſanguinis ſtaſi factam, elaterem ſuum habere & exercere nequeunt, & præterea corrugatio & coarctatio inteſtini ibidem vna coniungitur, vt & *Syluius Praxeos Med. Lib. I. cap. XV.* obſeruauit. Compreſſio vel a tumore vicino, augmentum capiente, fieri poteſt, vel in hernia incarcerata, ſi vel locus, vbi exiit inteſtinum, inflammetur, vel ipſum inteſtinum inflammatione corripiatur, vel fecibus ſucceſſiue repleatur, contingit. In anguſtiori enim loco ita exiſtens nec intrare commode valet, inprimis repletione ſimul huius particulæ elapſæ facta, nec tranſitum ſubſequentibus concedere.

§. VIII.

Contractio & coarctatio pororum & fibrarum, & inde dependens anguſtia inteſtini, lymphæ auſteræ & ſtypticæ, vel in glandularum plexu, vti rectisſime *Peyerus de inteſtinorum glandulis* notat, vel alibi, generatæ & huc allatæ, debetur. Præter has obſtructionis contumacioris cauſas, circumplicationem & circumuolutionem inteſtinorum, mutuumque ingreſſum eorundem, accuſare ſolent. Prior tamen a plurimis negatur, nec obſeruatione certa adhuc fuit deprehenſa, vti ab *Helmontio in Tr. de Flatibus* impugnatur, & *Riuerii obſeruationem* dubiam reddit *Kerkringius Spicileg. Anat. obſ. 22.* Mutuus inteſtinorum ingreſſus vero ſatis certus eſt, a Syluio aliisque obſeruatus ſæpius, non vero euictum eſt, eum cauſam obſtructionis contumacis & hinc ilei exiſtere. Rectius enim pro effectu obſtructionis & coarctationis haberi, phænomena circa ingreſſum talem mutuum apparentia oſtendunt.

§. IX.

Ingreſſus mutuus inteſtinorum fieri non poteſt, niſi illa pars, quæ ingreditur, coarctata, altera vero, quæ hanc recipit, magis dilatata & laxata ſit. Confirmat id *Sylvii* obſeruatio qui *c. l.* §. *XIX. obſeruaueram*, inquit, *inteſtinum tenue variis in locis flatu diſtentum, atque in partibus proximis tam ſuperioribus quam inferioribus ad notabilem longitudinem arctiſſime contractum.* Magis adhuc id oſtendit *Peyeri* modo laudati experimentum elegantiſſimum, in rana viuente inſtitutum, cuius inteſtina laceſſita diuerſis in locis ſe prius pertinaciſſime conſtrinxerunt. Quibusdam hinc inteſtini portionibus valde impletis ac turgidis, aliis vero prorſus inanitis & arctiſſime clauſis perſiſtentibus, poſtmodum ampliatæ partes intra ſe receperunt conſtrictas vicinas. Hoc autem contingere prius haud poteſt, quam flatus in parte ampliata in tantum imminuti ſint, vel cedant, vt ſpatium parti coarctatæ intranti concedant. Et fibræ nimis dilatatæ laxitatem ſuam, vt prompte ſe conſtringere haud queant, tamdiu retinere debent, donec intrauerit pars coarctata, alias enim ingreſſus minime fieri poſſet.

§. X.

Factus vero ingreſſus permanere haud poſſet, ſi flatus, vel alia contenta inteſtinorum, verſus partem ita affectam denuo propellerentur, cum ſtatim exire cogeretur pars ingreſſa, ob flatuum preſſionem, & reſiſtentiam ingreſſæ partis nullam præſentem. Lubrica enim vna inteſtina ſunt, & ſic prompte iterum exeunt. Adeoque tunc ſaltim euenire permanentem talem ingreſſum mutuum inteſtinorum intelligimus, ſi poſt factam receptionem mors conſe-

consequatur statim, vt, propulsione flatuum vel contentorum laudata ad partem ita affectam non amplius contingente, in eodem statu relinquatur. Perspicere id quoque ex *Peyeri* laudato experimento possumus, vbi minime ingressus ille contumacem talem obstructionem præstitit, sed sponte iterum pars vna in altera abscondita *e latibulo alterius velut e domunculo limax in propatulum pristinamque sedem rediit.* Hoc autem fieri haud posset, si ingressus hic adeo contumacis obstructionis causa sit. Et cur in ingressu hocce mutuo obstructionis contumacis causam quærere sustinemus, cum ante ingressum arctissima constrictio intestini partis adsit, adeoque ante hanc causam venditatam. Ergo hunc ingressum mutuum nec causam ilei esse, nec esse posse, constat, sed saltim a dictis prouenire. Confirmat hoc assertum Illustr. *Wedelii* obseruatio, in *Pathol. Dogmat. p. 653.* recensita, vbi in binis nobilis cuiusdam viri filiolis mortuis torminibus & diarrhœa infarctus talis fuit deprehensus.

§. XI.

Ex laudatis modo causis progressus peristaltici motus ordinarii impediti frequentissima est contractio & coarctatio pororum, quæ coniunctum ingressum mutuum habere solet ordinarie, quanquam hic non causa sed effectus sit per dicta. Hisce autem causis iunctus esse stimulus maior debet, si inuersum motum peristalticum efficiat, & quidem supra hunc locum affectum. Per stimulum vero hoc loco nihil aliud intelligimus, quam vellicationem, tensionem & puncturam molestam fibrarum neruearum, vnde motus constrictorius fortior & spasmodicus oritur, qui, deorsum progredi ob impedimenta laudata non valens, vicinas fibras superiora versus in consensum rapit, & sic inuersio

ſio motus periſtaltici conſurgit. Stimulum quædam ſuperius laudatarum cauſarum coniunctum quidem iamdum habere ſolent, vt flatus, vermes, inflammatio, aliæ vero ſuperuenientem acquirunt, quod ex dolore coniuncto vel ſuperueniente pateſcit, maior tamen vtrobique euadit, ob collectionem & moram, quam in partis affectæ ſuperiori loco ſubeunt e ſuperioribus ſucceſſiue accedentia. Hoc autem, cum in inferiore partis affectæ loco fieri haud poſſit, non in inferiori, ſed ſuperiori, partis affectæ ſede ſtimulus maior redditur. Ad inferiorem enim locum deſcendere ob progreſſum impeditum nihil poteſt, nec ex inferioribus huc aliquid adfertur.

§. XII.

Dolore iamdum præſente, quælibet accedentia contactu ſuo ſtimulum maiorem præſtant, adhuc magis vero acrimoniam vel aliam vim tendendi habentia, quæ & abſente dolore eundem efficere, & facto exacerbationem inferre valent. Ita ordinaria inteſtinorum contenta, inflammatione aliquam particulam tenente, id faciunt, ita acres humores acido bilioſi affluentes, ita vlcere ibi hærente pus acre, ita flatus copioſiores & acriores, & ipſi humores quicunque prius non acres, poſtmodum vero mora tales redditi, ita ipſi vermes tum morſicando tum humores conſpurcando, vehementiorem irritationem conciliare poſſunt.

§. XIII.

Ex remotioribus cauſis naturalibus ætas puerilis & ſenilis laudari ſolet, illa ob fibrarum neruearum teneriorem ſtatum & errores diætæ enormiores, vt & vermibus aptam diſpoſitionem; hæc ob lymphæ & reliquorum hu-

morum

morum viſciditatem & vappeſcentiam. Sexus ſequior ob ſeroſiorem habitum paulo rarius præ viris ita afficitur.

§. XIV.

Inter non naturales cauſas *aer* nimis calidus inflammationi, humores acres augendo, fauere, & ad fecum ſiccitatem & indurationem concurrere poteſt; frigidior vero tum flatibus ac torminibus excitandis & augendis, tum inflammationi inducendæ, ob ſtricturam pororum, tum herniæ incarceratæ inferendæ, tum tumoribus & abſceſſibus inteſtinorum excludendis aptus eſt. *Cibi* quantitas nimia & flatibus & cruditatibus, humorumque vitiis occaſionem præbet. Atque hoc eo magis, ſi qualitas ſimul concurrat noxia. Hinc flatulenta, ſicciora, groſſiora, auſtera, adſtringentia ſæpius & copioſius aſſumpta nocent. Sic cydonia mala, meſpila, caſtaneæ, pyra cruda, ſpiræ &c. tum flatibus tum fecum indurationi, tum pororum & fibrarum coarctationi inducendis idonea ſunt. A defectu ciborum & ſiccitas & acrimonia, & fibrarum inteſtinorum ſubſidentia ac corrugatio, prouenire poteſt. *Potus* deficiens indurationem fecum & acrimoniam humorum; fermentatiuus & feculentus flatuum maiorem prouentum; auſterus pororum & fibrarum coarctationem poſt ſe trahit. Frigidus potus, calefacto motu maiore corpori ingurgitatus inflammationem inteſtinorum excitare valet.

§. XV.

Somni & vigiliarum immoderatus vſus humores vitioſos reddendo reliquis cauſis augendis occaſionem præbere poteſt. *Motus* nimius herniæ præſentis incarcerationem excitare, inflammationemque vna cum reliquis promouere poteſt. *Quies* nimia & vita ſedendaria alui conſti-

pationi

pationi & inteſtinorum coarctationi, reliquis cauſis concurrentibus, fauet. *Ira* efferat humores biliofos, & tormina & inflammationem excludere poteſt. Triſtitia, moeror & viſcidis auſteris & ſtypticis humoribus augendis idonea ſunt.

§. XVI.

Ex præternaturalibus cauſis, præter ſuperius iam recenſitas, colica, affectus hypochondriacus, ſcorbutus, dyſenteria, vlcera inteſtinorum grauiora, obſtructio alui ſimplex diuturna neglecta, vulnera eorundem, vt & contuſio, percuſſio, caſus ab alto, duriora, vt nuclei ceraſorum & ſimilia, copioſius deglutita, venenoſa roſiua & tormina & inflammationem inteſtinorum excitantia, in eorum numero ſunt, a quibus oriri ileus laudato modo poteſt & ſolet.

§. XVII.

Differt ileus ratione gradus, ſubiecti & cauſarum. Gradus ratione vel remiſſior eſt, ſi ſymptomata grauiſſima nondum adſint, inprimis ſi vomitus, licet vrgeat, nondum tamen ſtercoraceus ſit; vel exquiſitus, ſi vomitus recrementorum & reliqua phænomena maiori gradu adſint. Subiecti intuitu aut in ileo inteſtino vitium eſt & definito vel indefinito loco, aut in craſſioribus. A cauſis differentia occurrens ex ſuperius iam dictis patere ſatis poteſt. Periodicus ileus ex *Foreſto* & *Schenckio* ab *Ettmullero* commemoratus ex contractione & coarctatione pororum & fibrarum, ab humore auſtero ſtyptico per interualla huc accedente & ſuperato, proueniſſe videtur.

§. XVIII.

Præſentiam ſui affectus hic manifeſtat dolore grauiſſimo & conſtante in abdomine, excretione per inferiora dene-

denegata omni, & vomitu repetito ac poſtmodum magis vrgente. Sedes doloris huius acerbioris circa dextrum hypogaſtrium frequentius eſſe ſolet, ſi ab interna tantum cauſa ortum duxerit, & tunc circa finem inteſtini ilei locus affectus exiſtit. Sin vero ob prægreſſam læſionem, vulnus, herniam &c. eueniat, ibi magis doloris locus eſt, vbi læſio inteſtini hæret. Tumor inſuper ac durities in ventre ob motum & inflationem ac tenſionem inteſtini affecti, apparere in nonnullis ſolet. Vomitu reiiciuntur contenta, tum paulo ante aſſumpta, tum alias intus hærentia, pituita, bilis, aliquando & ſanguis, exquiſito magis malo & intenſo reddito ſequuntur fœtida, ſtercorea. Præter hæc reſpiratio euadit difficilis, anxia, adeſt inappetentia, pulſus celer, vigiliæ iunguntur, pluraque ſymptomata ſuccedunt.

§. XIX.

Quænam cauſa ileo dederit originem, circumſtantiæ docent. A flatibus pendere, colica prægreſſa, ructus, murmura ventris, aſſumptio flatulentorum præcedens, & ſimilia, innuunt. Feces induratas primam cauſam mali eſſe, notat aluus diu ſuppreſſa præcedens, aſſumpta talia ſiccitatem inferentia maiorem, abſtinentia a potu longior. A vermibus productum, horum indicia oſtendent. Calculi ſi in culpa fuerint, vix niſi poſt mortem deprehendere licet, cum rariſſima hæc cauſa ſit. Duriora deglutita eſſe copioſiora, quæſtione diſci poteſt. Tumorem ſuperficiem internam occupare ſcirrhoſum, coniectura vix aſſequi licet, niſi aliarum cauſarum abſentia de hoc cogitare iubeat. Inflammationem in cauſa eſſe, & febris & dolores acutiſſimi produnt, nec non cauſæ prægreſſæ, vt potus poſt motum vehementiorem frigidus, temperamentum bilioſum,

 cacochy-

cacochymia biliosa, praegressa contusio, vel alia quaecunque laesio, assumptio calidiorum alimentorum vel medicamentorum, vel rosiuorum venenorum, vlcus grauius in intestinis, aliaque. Compressione intestinum ita laedi, hernia incarcerata, nec solubilis, probat, vel tumor, ante hoc malum in abdominis cauitate sui indicium praebens, latitans autem tumor deprehendi haud potest. Contractione & coarctatione fibrarum & pororum ileum euenire, tunc coniicere licet, si austeri & styptici humores in corpore abundent, febris absit, nisi ex aliis caussis superueniat, nec acutissimus statim adsit dolor. Omnia tamen haec ita intelligenda sunt, vt occasio saltim praebeatur, quomodo causa praesens deprehendi debeat. Non enim haec certis definitisque signis, sed coniectura artificiosa erui possunt atque debent. Adeoque inuestigare & quaestione, & tactu, & visu, aliisque conuenit, quae signorum vicem obire queunt, haec enim data illa sunt, ex quibus coniectura artificiosa procedit, & veritatem, quantum in potestate humana est positum, eruit.

§. XX.

Euentus indicia & aegro & medico necessaria cognitu existunt. Hoc generatim scire licet, quod in se & natura sua periculosus & acutus sit affectus. Certius tamen exitium timendum est, si a causa vehementiore minusque superabili foueatur. A flatibus nimis copiosis & rebellibus fotus ileus tristiorem euentum minitatur, exitu enim non concesso, superant tandem omnia remedia, quorum accessio quoque difficillima redditur, flatibus inclusis resistentibus, vnde obseruationes testantur, plures tales obiisse. Fecum induratio si adsit, nec accedat inflammatio, mitior

reli-

reliquis ſpeciebus eſſe ſolet, ſi matura & conueniens curatio accedat. Vermes rebelle malum magis præſtant, vt & calculi, licet rariſſimi. Duriora deglutita pro reliquarum circumſtantiarum conditione vel expediri poſſunt, vel grauiora magisque periculoſiora inferunt. Tumor vel abſceſſus, interius hærens incrementumque tantum capiens, remotionem ſui vix admittit, adeoque nec certioris periculi, quod citius accedit, ſi inflammationem ſociam acquirat. Inflammatio ſiue a cauſa interna, ſiue a vulnere, vlcere vel aliis inuitetur, periculum ſummum notat, & vix inde euadunt ita correpti. Compreſſio a tumore interno liberationem promittit nullam, cum remoueri cauſa haud poſſit. Ab hernia incarcerata autem dependens huius euentum ſequitur, mature enim & prius, quam inflammatio corripiat inteſtinum prolapſum, ſi in ordinem redigi queat, liberatur æger, ſin minus, ſpes vitæ nulla ſupereſt. Contractionis & coarctationis fibrarum & pororum culpa fiens curationem ſuſcipit, ſi hæc non ſit confirmata & contumax, vel inflammatio haud accedat, vel coalitum non induxerit, qui in atretis ita ſe habens, vt matura apertio ſectione obtineri nequeat, lethalem exitum adfert.

§. XXI.

Vomitus quo magis vrget, fœtidus & ſtercoreus redditur, eo periculoſior ſtatus adeſt, imo conatus vomendi vrgens, abſente materia, eiusdem conditionis eſt. Dolor intenſisſimus, ſubito ſine ratione ceſſans, deſtructionis & mortis propinquæ indicium eſt. Nec alui apertio, præter rationem facta, tuta eſt, ſed, cum a deficiente inteſtinorum vita dependeat, in propinquo exitium eſſe, notat, non enim excernuntur tunc, ſed dimittuntur ſaltim feces. Singultus

gultus, delirium, conuulſio, ſudor frigidus, frigus extremorum, lipothymia peſſimæ notæ hic ſunt. Ceteris paribus iuniores malo hoc affecti facilius liberantur, quam ſenes, quorum vires rariſſime ſufficiunt. Salutis ſpes affulget, ſi a cauſa mitiori dependeat, ſymptomata haud grauiſſima adſint, remediis mature adhibitis obediat affectus, & conſtans alui apertio, conſtante inteſtinorum robore, eueniat.

§. XXII.

Tempus euentus die ſeptimo definiri ſolet, intra hoc temporis ſpatium vel ſuperatur vel iugulat. Modus euentus ad ſalutem fit reſtitutione motus periſtaltici ordinarii, remoto impedimento & ſtimulo maiori. Ad mortem vero, flatibus nimis auctis præſentibus, crepatura inteſtinorum ſubita ſæpe perducit; inflammatione præſente, vel reliquis cauſis ſuperueniente, ad gangrænam & ſphacelum fit tranſitus, & ſic ad mortem. Lumbrici aliquando perforatione inteſtinorum lethalem euentum inferunt, qui etiam, quibuscunque cauſis grauioribus præſentibus, virium reſolutione promoueri & induci ſolet.

§. XXIII.

Curatio rite vt peragatur, tria obſeruanda ſunt, primo progreſſus motus periſtaltici ordinarius reſtituendus, deinde ſtimulus maior coniunctus remouendus, & tandem dolor ac ſymptomata vrgentia mitiganda ſunt. Hæc autem non præciſe hoc ordine ſunt exequenda, ſed ſemper illud prius faciendum eſt, quod circumſtantiæ vrgentes præſentes poſtulant, & ſi remediis pluribus indicationibus ſimul ſatisfacere licet, ea ſeligenda, & ita aptanda, veniunt.

§. XXIV.

Progressus motus peristaltici impeditus restituitur, si contentorum culpa fiat, horum correctione & eductione. Flatus hinc praesentes corriguntur carminatiuis internis & externis. Ex internis sunt ess. carm. spir. carm. Sylu. spirit. nitr. dulc. tinctura tart. oleosa, spec. diagalang. diacymin. diaspol. Galen. externa paulo post recensebimus. Corriguntur resoluentibus, neruinis & praecipitantibus, ess. castor. cinnabarinis, antimon. diaphor. lap. cancror. Corriguntur anodynis, reliquis iunctis, ess. anod. extr. op. Educuntur flatus per clysteres, ex emollientibus, carminatiuis & purgantibus concinnatos. Educuntur quoque per purgantia, pilularum forma magis concinnata, ex gial. resin. eiusd. resin. scammon. extract. panchymag. Croll. &c. Clysteres semper locum habent, purgantia vero non, nisi correctione praegressa.

§. XXV.

Fecibus induratis corrigendis apta sunt & humectantia ac resoluentia, vt iuscula gallinacea, decoctum raparum, succus pomorum Borstorffiensium, & salina, vt arcan. tartari, sal absinth. ad ℈i. nitrosa, vt nitr. depur. arc. duplicat. triplicat. & oleosa, vt ol. amygd. dulc. sperma ceti, decoctum flor. chamom. cum butyro non salito, & lenientia, vt elix. propriet. pil. aloet. Circa horum vsum selectus institui, & circumstantiae reliquae respici, debent, quid ferant, quid minus. Resoluunt & educunt purgantia laudata, vt & clysteres, qui ex emollientibus, abstergentibus & purgantibus fieri queunt, in his quoque commendantur olea, vt ol. lini, raparum &c. vel per se instar clysteris iniecta, vel additis purgantibus, vt ol. diacolocynthid. trochisc. alkandal.

His etiam apta ſunt externa emollientia & reſoluentia, abdomini impoſita, vt vnguent. dialth. pingu. taxi. cataplaſma ex pomis Borſtorfianis putridis cum croci tantillo, ſtercore vaccino, ouillo cum lacte, vel ex aliis emollientibus factum. Non minus & balnea in hoc ſtatu proſunt, aliaque, obſtructioni alui alias conuenientia. *Hippocrates* follem vna laudat, vt ſic ſeparatio parietum a ſtercore contingat, atque via clyſteri applicando paretur. Ab huius vſu in iliaco expertus eſt iuuamentum *Petrus Salius Diuerſus in Comment. in Hippocr. Lib. III. de Morbis c. 30.*

§. XXVI.

Vermibus anthelminthica opponenda ſunt, & in his purgantia, ac mercurium dulcem adhibere decet, quæ necant & educunt, non neglectis reliquis indicantibus. Calculi & duriora deglutita lenientibus & emollientibus ad exitum perducere conuenit, iisdem adhibitis, quæ in fecibus durioribus locum habent, viæ enim lubricæ ac patulæ ſic redduntur.

§. XXVII.

A parietum vero vitio ſi adſit progreſſus impeditus & quidem ob tumorem in interna ſuperficie hærentē, hic quidem ſui imminutionem indicat, ſed & cognoſci difficillime, nec facilius fere curari poteſt, tam citam enim remotionem, quam periculum inſtans requirit, nullo modo ſuſcipit, vnde in generalibus tunc perſiſtere cogimur. Inflammatio autem diaphoretica, & temperantia, & pro re nata venæſectionem maturam poſtulat, vt aliæ inflammationes internæ, quæ & clyſteres emollientes, & temperantes admittit. Hinc tinctura bezoard. mixtur. ſimplex. antimon. diaph. pulueres bezoardici, reſoluentes, nitroſa, & ſimilia, ex vſu

ſunt

ſunt. Seorſim ad eam præcauendam in contuſione, caſu ab alto, vulneribus, aliisque cauſis laudatis, hæc adhibenda ſunt, vt & externa diſcutientia, vt ſpiritus matricalis, vini camphoratut, fotus defenſiui &c.

§. XXVIII.

Compreſſio a tumore interno, extra inteſtinum tamen hærente, eiusdem conditionis eſt, ac conſtipatio a tumore intus in cauitate inteſtini eueniens, & curationem vix recipit. Compreſſio vero ab hernia incarcerata, huius remotionem requirit. Remouetur fotibus emollientibus & reſoluentibus blandis, non nimis feruidis, ſitu corporis apto, blanda reductione, aliisque, per clyſteres facta reſeratione, inteſtino prius reducto, nec neglectis internis medicamentis inflammationi arcendæ commodis. Quæ cuncta e ſuis loculis repetenda ſunt. Coarctatio & contractio tandem pororum ac fibrarum, ab humore auſtero & ſtyptico proueniens, partim per lenientia, laxantia, purgantia, abſorbentia, neruina, clyſteres, partim per globulos plumbeos deglutitos, vel loco horum globulos ex electro metallico anti hect. Poterii confectos, a *Screta* & *Peyero* ſuperius cit. commendatos, ſi malum non nimis rebelle ſit, tollitur. Quidam eosdem in fecibus induratis laudant, vbi tamen vix effectum edere queunt. Alii ſubſtituunt mercurium viuum, qui tamen meliorem effectum in fecibus induratis adhærentibus, quas a parietibus ſeparare quodammodo valet, edere poterit, quam in hac coarctatione, quam globuli pondere, magnitudine & vi temperante ſoluere ſucceſſiue queunt. Quod ſi vero coalitus factus fuerit interius, nullum ſupereſt remedium. In atretis autem matura ſectione, ſi reliqua conſentiant, liberatio fit ab ilei metu.

§. XXIX.

§. XXIX.

Stimulum maiorem tollunt partim iam laudata, partim quæ dolorem & vomitum mitigant, vnde secundæ & tertiæ indicationi iisdem remediis satis facimus. Debentur his primo anodyna, vt laudan. opiatum, ess. anodyna, quæ vel per se, vel aliis remixta, vtilitatem præstant summam, a quibusdam iunguntur purgantibus, ab aliis vero seorsim propinantur, &, sedato stimulo, dolore ac vomitu, purgans exhibent, vbi quidem purgans conuenit. Minus enim inflammatio, vel similis causa, ita tractari potest, quod ex generalibus medendi regulis scire conuenit. A flatibus stimulus maior si sit, carminatiua dicta vna prosunt.

§. XXX.

Porro stimulum maiorem remouent acrimoniæ contraria, demulcentia, præcipitantia & absorbentia, nec non neruina, cinnabarina, specif. cephal. Mich. succin. alb. ppt. pulu. epil. March. dens hippopotam. calces antimoniat. pulueres bezoardici &c. Non minus stimulum maiorem & dolorem mitigant externa, paregorica & carminatiua, vt ol. carm. Mynf. polychrest Wedel. emplastr. magnet. de ammoniac. Forest. cataplasmata, etiam ex residuo clysteris adhibiti facta, vnguenta emollientia & paregorica, & certis in casibus ipsa balnea. In omnium tamen laudatorum vsu prudens selectus est necessarius, qui a præsentibus in quouis subiecto circumstantiis dirigi debet, præceptis vero contineri nequit.

§. XXXI.

In diæta aer temperatus necessarius & tutissimus est, frigidus valde nocens. Cibi singulis causis conuenientes sint, generatim tamen vitari crassi, duriores, flatulenti & fermentaui, vt & astringentes, debent. Lubricantia, resoluentia & emollientia vtilia sæpe esse solent. Potus proderit purus, non nimis spirituosus, haud tamen feculentus. Motus blandus, dolore non ita vrgente, & inflammatione absente, non ita noxius est. Somnus mediocris iuuat. Animi pathemata turbas facientia exulent. Excreta vero in ordinem redigere, in eoque conseruare, conuenit.

SOLI DEO GLORIA!